Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Io. Rvdolph. Engav Ivrivm D. & P.P.O. In Academia Ienensi Elementa Ivris Criminalis Germanico-Carolini

Engau, Johann Rudolph

Jenae, MDCCXLVIII.

VD18 12413879

Tit. XLI. De Termino Moto.

urn:nbn:de:gbv:45:1-10011

Visual Library

pœna talionis *k*), uel, prout uitæ aut corpori innocentis falſo teſtimonio damnum allatum eſt, gladii aut talionis pœna *l*), atque, ſi in ciuili cauſa patratum, iudicem arbitrari, quæ pœna irroganda *m*), & num cauſa ſit, cur præter digitos amputetur lingua *n*); *alia* ius commune ſequuntur *o*). In *Morauia* denique & *Bohemia* capite *p*) priuantur criminis periurii rei.

§. CCCCLIX.

Iudicium ciuile.

Periurus ea, quæ periurio ſuo acquiſiuit, læſo *reſtituere q*), quid? quod alicubi *r*) damnum, quod dedit ſine lucro percipiendo, reſarcire tenetur.

TIT. XLI.
DE TERMINO MOTO.

§. CCCCLX.

Termini

T*erminorum* nomine ueniunt quæuis ſigna ad fines agrorum diſtinguendos rite poſita.

§. CCCCLXI.

---

k) Oeſterr. P. L. G. O. art. 91 §. 2

l Chur-Pfälz. Maleſ. Ordn. tit. 10

m Bad L. R. VII, 9.

n) Tyr l. L. R. VIII, 20. Oeſterr. P. L. G. O. c. l.

o) Goth. L. O. p. II. c. 4. tit. 1. §. f.

p) *Conſt. Crim. Ioſephina* art 19. §. 4.

q) C. C. art. 107. §. 1. ibique CLASEN. HARTM. PISTOR obſ. 150.

r) Pfälz. Mal. R. tit X. § 2, Bad. L. R. VII, 9, 2.

§. CCCCLXI.

Terminum mouere dicitur, qui id, quod fines agrorum denotat, auellit, euertit, exarat, eiicit, transponit, alio dirigit, quod ad faciem adulterat, uel modo mutat alio *s*), ut cum damno tertii ferat quid commodi (§. CCCCXLI.). moti

§. CCCCLXII.

Qui dolo malo (§. XXXI.) falſos reddit (§. pr.) terminos (§. CCCCLX.), is in *crimen termini moti* incidere dicitur. Itaque in huius criminis reorum numero erit, (1) qui ut *fines* agri ſui, liberorumue ſuorum *dilataret*, aut (2) *litem* inter ipſum & uicinum de finibus regundis pendentem *obſcuraret t*), falſum fecit terminum; neutiquam uero (3) qui *furioſus*, aut (4) *caſu* fortuito, aut (5) ex *ignorantia* finales mouit lapides. criminis reos

§. CCCCLXIII.

Pœna pro uaria conditione & malitia *criminoſi*, nec non quantitate *damni* dati uariat * *u*). Mox enim mulctæ, mox carceri, mox relegationi, mox fuſtigationi locus eſt. quæ pœna maneat? &

* Nec olim quoscunque terminorum motores pœna manebat eadem. Nam *L. Longob.* I,

Q 3 26, 1.

s) BEIERI d *de termino moto* c. 4. ſect. 9.

t) MENOCH *lib.* II. *caſ.* 393. nr. 18. ſeq.

u) C. C. C. art. 114. Oelſn. L. O. p. II. art. 15. Liegnitz. Dreydings Ordn. nr. 19.

Landesbibliothek Oldenburg

26, 1. ſeq. *L. Burgund.* LV, 3. ingenuos manu & ſeruos capite priuari iubent. *L. Wiſig.* X, 3, 2. *L. Baiuuar.* XI, 1. ſeruos flagellorum ictibus caſtigat, & ab ingenuis certos petit ſolidos. Media ætate doloſus arborum finalium motor 30. ſolidos læſo, & 60. iudici ſoluere tenebatur. *I. P. S.* II, 28. III, 20. 86. *Sueu.* c. 217. V. MÖLLINGER *de terminis & illorum iure* th. 30. ſeq.

§. CCCCLXIV.

quæ illam grauiorem reddant?

Autorem motionis *terminorum territorialium*, quam turbæ ſecutæ ſunt, capite plectendum eſſe ad unum fere omnes ſtatuunt *x*). Cur uero plurium terminorum priuatorum uno contextu facta euulſio, ut putat ERTL *y*), capitalis ſit, equidem non uideo *z*).

§. CCCCLXV.

Iudicium ciuile.

Olim Francofurti coram ſingulari iudicio, dem Acker-Gericht, querela de termino moto inſtituebatur. Hodie coram quolibet inſtitui poteſt. *I. Mulhuſino a*) is, qui pendente lite lapidem mouit, cauſa cadit, & præterea aduerſario expenſas iudiciales reſtituere, ac mulctam ſoluere tenetur.

TIT.

---

x) BEYER ad h. t. ff. p. 630. LEYSER ſp. 114. m. 6.

y) von der Nieder-Gerichtb. c. 6. obſ. 6.

z) HILDEBRAND d. *de diuerſ. lapid. final.* p. 41.

a) *Statuta* der St. Mühlh. V, 35. §. 2.

Landesbibliothek Oldenburg

TIT. XLII.
DE DECOCTORIBVS.

§. CCCCLXVI.

Ad falſarios etiam pertinent, qui ſuo uitio* ſunt bonis & fide exuti, quos decoctores, fallitos, *bancoruptores b*) dicimus. Bancoruptorum

* Crebris conuiuiis, uoluptate uenerea, luſu immodico, amictu pretioſo, uita otio transacta an alio modo dilapidauerint bona, perinde eſt. GERDES tr. *de decoctoribus* §. 3. ſeq.

§. CCCCLXVII.

Qui olim ad manus addicebantur *c*), hodie notantur infamia *d*), atque præterea in urbibus *Hanſeaticis e*), terris Boruſſico - *Brandenburgicis f*), & *Hannoueranis g*) pro qualitate cauſarum, numellarum, relegationis, &, ſi facti circumſtantiæ hoc exigant, fuſtigationis immo laquei* pœnam, creditorum interceſſione uix declinandam, ferre tenentur. pœna &

* Iam Carolus V. Ed. de A. 1531. d. 7. Oct. & 1540.

b) ZIPFELS tr. von denen vorſetzl. *Banquerottiren* qu. 3.

c) *Elem.* noſtra *Iur. Germ.* III, 228. ſeq.

d) *Ref. Pol. Aug.* 1548. tit. 22. *Ord. Pol.* 1577 tit. 23.

e) Der Hänſe Städte Mandat wider die muthwilligen fallnen de A. 1620.

f) *General Edict* von *Banq.* d. 12. Ian. 1715.

g) Conſt. wider die muthwillige und vorſetzl. Banquerouten de d. 15/26 Mart. 1726.